

**Disputatio medica inauguralis, de pneumonia ... / Eruditorum examini
subjicit Gulielmus Shearman.**

Contributors

Shearman, William, 1767-1861.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u6x2gt3g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISPUTATIO MEDICA

IN ACUTIS

DE

PNEUMONIA.

5
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS SHEARMAN,

ANGLUS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

DISPUTATIO MEDICA

DE

PNEUMONIA;

AVTHORE D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE MEDICINAE PARISIENSIS

DISPUTATA ET EXAMINATA A D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE MEDICINAE PARISIENSIS

DISPUTATIO

AVTHORE D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE MEDICINAE PARISIENSIS

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

DISPUTATA ET EXAMINATA A D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE MEDICINAE PARISIENSIS

DISPUTATIO

AVTHORE D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE

DISPUTATA ET EXAMINATA A D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

DISPUTATIO

AVTHORE D. GEORGIO BAIRD, SS. T. P.

1807

VIRO

HONESTISSIMO ET SPECTATISSIMO,

GULIELMO RANDLE SHAPTER, M. D.

NOSOCOMIORUM MILITARIUM

IN HAC REGIONE

PRÆFECTO ;

HOC OPUSCULUM,

OB AMICITIAM VERISSIMAM,

ANIMO GRATO ET OBSERVANTISSIMO,

D. D. C.

AUCTOR.

HONESTISSIMO ET SPECTATISSIMO

GULIELMO RANDIE SHAPTE, M.D.

NOBILISSIMO MILITARI

IN HUIUS REGIONE

PROFECTO

2
HOC OPUSCULUM

OS AMICITIAE VERISSIMAM

ANIMO GRATO ET OBSERVANTISSIMO

D.D.C.

AUCTOR

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

SIVE ad Pneumoniæ sedem, ad signa gravissima, quibus eâ detenti sæpè plectuntur, vel ad exitus quos haud rarò habet, si prompta et perita medendi ratio neglecta fuerit, spectemus, eam, summam medicorum attentionem optimo jure sibi vindicare, facile patebit ; et sanè ab ævo vetustissimo ad hunc usque diem, medici eam attentione dignissimam semper existimârunt.

De morbo igitur, qui medicinam in hac terræ regione facientibus sæpissimè sese offert, pauca disserere, gradum Doctoris in hac alma Academia ambienti, hand alienum erit.

DEFINITIO.

PNEUMONIÆ definitio, quam CULLENUS eximius protulit, aliis anteponi meretur: “ Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis.”

Hic haud supervacuum erit, monere, ple-
rosque auctores, maximè autem antiquos,
Pneumoniam in duas species, *Pleuritidem*,
scilicet, et *Peripneumoniam*, dirimere; et mor-
bi hujus pathologia, hoc non sine causa fac-
tum esse docet; optimè enim constat, inflam-
mationem haud parùm variare, secundum
naturam et structuram partis, quam occupat:
hinc inflammationem membranæ quæ thora-
cis

cis cavitatem, et pulmones investit, pleuritidem nempe, signis aliquantulum diversis commitari fore, ex iis e substantia pulmonis ipsius inflammata, vel peripneumoniâ orituris, facile crederemus.

Cùm autem hæ diversæ pneumoniæ species, rarò seorsim in conspectum veniunt, vel si in initio morbi unius signa maximè conspicua fuerint, brevi tamen alterius quoque indicia superveniunt; et præsertim cùm eadem medendi ratio utrisque aptata est, pro gradu signorum solummodò varianda; varietates potius ejusdem morbi habendæ sunt, et ad idem genus relegari debent.

HISTORIA.

Hoc morbo ingruente, æger utplurimum de dolore gravi et obtuso, in pectore conqueritur, qui nunc unum, nunc utrumque latus occupat, et sæpè sub sterno maximè sentitur;

sensus

sensus plenitudinis in thorace adest, et respiratio admodum difficilis evadit; dum aër spiritu reciprocatus præter solitum calescere videtur: hisce signis accedit tussis molesta, parcâ et difficili muci tenuis et viscidus expuitione, primùm comitata, qui tamen postea crassior et striis sanguineis haud rarò tinctus, faciliùs screatu rejicitur. Pyrexia vel ab initio urget, vel brevi tussi et dolori supervenit; pulsus fit frequens, interdum validus et durus; quem, summa circa præcordia anxietas, jactatio, cibi appetentiæ defectus, et somnus turbatus, subsequuntur; urina turbida evadit; tussi et respiratione difficili ingravescentibus, æger super latus affectum decumbere nequit, vel si dolor utrumque latus vexat, erectâ cervice spiritum ducere cogitur. Venæ cervicis intumescunt, et facies colore purpurascit; lingua tumida altè rubet; et æger sensum quasi suffocationis jam imminentis percipit, quæ reverà interdum evenit. Aliàs, omnia mali indicia increscunt, pulsus, et vi ictuum et intervallis, irregularis evadit; tussis et spirandi difficultas,

tas, graviores fiunt, et ægrum maximè fatigant. Oculi nitore solito orbati, hebescent; delirium mite accedit; spiritus antea calidus, nunc adstantium manu exploratus friget; et mors ærumnis finem imponit.

In nonnullis exemplis, rigoribus quibusdam prægressis, dolor lateris, vulgò circa sextam vel septimam costam, pungens et acutus, ægrum adoritur; inspiratione plerumque multum augetur; tussi sicca, crebra, et difficili in latus affectum decubitu, stipatur. Omnia febris vehementioris signa; pulsus scilicet plenus et validus, cutis arida et calida, sitis magna, urina pellucida, colore magis saturata, dolor capitis et delirium, accedunt; et si morbo, remediis tempestivè adhibitis, non citò occurritur, tandem mortem inferunt; vel inflammatio pulmonum ita intenditur, ut brevi in gangrænam transeat.

Si morbus hujusmodi exitum non habuit, et præsertim si inflammationis vis, et febris cohibitæ

cohibitæ fuerint; modo jam memorato ad finem properat, quod medicinam exercentibus usitatiùs contingit.

TERMINATIONES.

SI morbus, ut novissimè dictum est, gravioribus signis comitatus ægrum invadit; si dolore subito et acuto, et febre vehementi, plectitur; non causa est cur exitum ejus timeamus, modò remedia opportuna promptè et strenuè administrata fuère. Etsi autem signa solummodò mitigata, non penitùs sublata fuère; vel si morbus sub forma mitiore, ab initio processerit, et cùm per aliquot dies perstiterit, sputum materiæ subflavæ, copiosum, facilè rejectæ, filamentis sanguineis nonnunquam distinctæ, accedit, dum omnia mali indicia gradatim mitescunt; morbum in salutem esse cessurum, jure speramus.

Interdum

Interdum paucis diebus post morbi adventum, sanguinis profluvium, sæpiùs e naribus, nonnunquam e vasis hæmorrhoidalibus, evenit ; quo solvitur. Idem interdum menstruis prorumpentibus, vel diarrhœâ concitâ, observatum fuit.

Si nil horum evenerit, vel si inflammatio, materiâ exscreatâ non omninò depulsa fuerit, et febris adhuc perstet, cum dolore quodam, et aliis inflammationis indiciis, in secunda hebdomada, crisis haud absimilis ei quæ febribus puris decumbentibus contingit, evenit : sudor copiosus et universus prorumpit ; urina fit turbida, et sedimentum lateritium deponit ; omnia et pyrexia et inflammationis indicia decedunt ; et æger ad salutis munera restituitur.

Cùm Pneumonia modis suprâ positis tollitur, *resolutione* finiri dicitur.

Si

Si morbi resolutio, paucos intra dies, vel naturæ beneficio, artisve ope, non advenerit, et præsertim si usque ad diem quartum decimum perstiterit, signa mutationem subeunt; dolor, plenitudinis sensus, tussis et sputa, gradatim imminuuntur; æger in latus affectum faciliùs decumbit; dyspnœa autem adhuc manet, vel potiùs augetur, præsertim corpore resupino; rigores et horrores frigidi subindè sentiuntur, pulsus frequentior et debilior evadit, nocte omnia febris signa ingravescent, et hectica tandem planè accedit.

Hæc signa *suppurationem* adesse testantur.

Morbus *gangrænâ* rariùs finitur; quam subita doloris remissio, magna virium prostratio, pulsus admodum citatus, debilis, parvus, et irregularis, comitantur; sanies foetida et nigrescens expuitur; et sudores gelidi, viscidî, delirium et convulsiones, mortis instantis prænuncia, accedunt.

Per

Per totum mali decursum *effusio* in vesiculas aëriferas pulmonum fieri potest, quæ interdum statim ægrum opprimit, nonnunquam eum lentiùs consumit, dum signa, ea quibus gangrænâ stipatur, haud parùm referunt. Hæc terminatio haud rarò inopinanter evenit, etiam in iis exemplis, in quibus, medicus exitum felicissimum polliceri ausus est, vel etiam cùm talis symptomatum remissio, die tertio quartove adfuerit, qualis medicum minùs exercitatum in morbi decedentis suspicionem adduceret.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

INTER causas quæ homines pneumoniæ opportunos reddunt, *diathesis phlogistica* maxime recenseri meretur: huic ætatem mediam agentes sæpiùs objiciuntur, et causis excitantibus admotis, in hunc morbum sæpiùs incidunt. Robustiores, fibris densis et validis instructi, quàm qui diversâ corporis compage

præditi sunt, pneumoniæ magis patent; mares igitur præ fœminis, ei magis obnoxii sunt: Nulla autem ætas, nec corporis constitutio, ab ea omninò immunis est, modò causæ validæ excitantes concurrant. Regiones cœli frigidæ, et frigidæ anni tempestates, utpotè quæ robur corporis adaugent, inter causas prædisponentes annumerari queant, dum eodem tempore, morbum sæpissimè concitant. Huc quoque spectant, pectus angustum, adhæsiones inter pleuram et pulmones, quibus respiratio impeditur, pulmones pneumoniâ prægressâ, vel asthmate, debiliores facti: catarrhus quoque, sæpiùs rediens, pulmones inflammationi procliviores reddit.

CAUSÆ EXCITANTES.

INJURIA quævis pulmonibus extrinsecus illata, nisus horum graviores, ut nimia vocis contentio, loquela vehemens, cantus, flatus, et similia, hunc morbum excitare queant:

exercitatio

exercitatio vehemens, ut cursus vel saltatio, sanguinis impetum per pulmones adaugenda, proclivibus pneumoniam interdum concitent: vini quoque et liquorum spirituosorum abusus, eundem effectum interdum gignit. Frigus autem vel ad corporis superficiem, vel ad pulmones ipsos, rectè admotum, causa huius morbi frequentissima meritò habetur, quem eò certiùs ciet, quò magis corpus ei objectum calefactum fuerit: si exigua corporis pars, rivo aëris frigidi objecta fuerit, pulmonum inflammatio haud rarò accenditur; etiam pedes frigori expositæ, ad eam concitandam valeant. Frigida quoque epotata, corpore calente, hunc morbum aliquando gignit.

DIAGNOSIS.

De discrimine quod inter pneumoniam et morbos cognatos intercedit, pauca monere, a proposito minimè alienum erit.

Musculorum

Musculorum inter costas inflammatio, *pleuritis notha* interdum nuncupata, tussi, nullâ expectoratione comitata, dolore quàm in pneumonia minùs profundo, et pressurâ aucto, satis ab ea secernitur.

Hepatitis, quæ in nonnullis pneumoniam referre solet, tussi brevi et siccâ stipatur, dolor in latere dextro partem inferiorem tenet, et pressurâ hypochondrii dextri augetur, dum æger faciliùs in latus affectum reclinat; si his, faciei vel tunicæ adnatæ oculorum, flavedo accedit, de morbi natura nullum dubium superest.

Signis quibus *peripneumonia notha* ab morbo, quem persequimur, dignosci queat, nequaquam manifesta sunt, et sanè admodum verisimile est, illum ab hoc, gradu solummodo differe; inflammatio enim in illa minùs vehemens est, et senio confectos maximè adoritur.

Nec

Nec magis facilè est in quibusdam exemplis, inter *catarrhum* et pneumoniam discernere ; in catarrho enim, signa, cum iis quæ in pneumonia occurrunt, sæpè tam benè conveniunt, ut utrumque eodem tempore adesse, jure suspicamur ; et sanè, catarrhus, peripneumonia notha, et pneumonia tam facilè in se mutuò transeunt, et unà tam sæpè copulantur, ut eandem medendi methodum exposcant : in hisce casibus diagnosi haud opus est, et ei igitur diutiùs immorari vix operæ pretium erit.

PROGNOSIS.

JUDICIUM de hujus morbi eventu petendum est, prout signa ad terminationes suprà traditas spectent. Cùm resolutio, harum maxime fausta est, si tussis, dolor pectoris, et spirandi difficultas, remediis cedunt ; si pyrexia mitior evadit, cum pulsu molliore et minùs frequente, et præsertim si hæc signorum remissio

missio maturè conspicitur, exitum felicem prædicere liceat : et etiamsi morbus non penitus profligatus fuerit, si dolore, respiratione difficili et febre imminutis, tussis adhuc maneat, cum sputo muci spissioris comitata, hæc evacuatione morbum esse decessurum fidentum est. Res autem longè aliter sese habet, si morbus jam per plures dies perstiterit, præsertim si signa graviora adhuc indomita urgeant, si tussis assidua, molesta, cum sputo parco, ægrè rejecto, dolor parùm imminutus, et aucta spirandi difficultas adsint, et si his, rigores, sensus gravitatis in pectore, facies tumida, rubore suffusa, et præ omnibus delirium superveniunt, eventum morbi lethalem prædicere liceat. Ex his igitur, ritè perpensis, prognosis in genere sumenda est ; nunquam autem ex animo excidere debet, periculum non semper signorum vehementiæ pro rata respondere ; in nonnullis enim exemplis, ubi omnia et inflammationis et pyrexix indicia, leviora visa fuere, morbus clanculùm ad exitum infelicem properat. Interdum

terdum die tertio vel quarto, omnia signa remittunt, et morbus iterum majori vi recrudescit, quod sanè periculum haud leve denotat.

Hæmorrhagia e pulmonibus ægrum plerumque suffocat, vel in ulcus desinit. Si quoque materia exscreata non unius crassitudinis est, sed massulas duras continet, ulceris periculum est. Doloris remissio vel cessatio, cum pulsu citato, et febre vespere exasperata, supurationem adesse docent.

Urina sedimentum lateritium deponens, vel sudores, faustè augurant, morbum enim decedentem sæpè comitantur.

MEDENDI RATIO.

IN primo hujus morbi gradu sanguinis detractio, omnibus aliis remediis meritò anteponitur, quæ pro ægri viribus, et symptomatum

tum vehementia celebranda est. In hominibus validis, pleno corporis habitu præditis, hæc pulmonum inflammatio, pyrexiam haud exiguam, brevi accendit, quæ quoque vicissim inflammationis vim intendit. Quodcumque igitur feбри occurrit, haud minùs inflammationi prodesse solet; hoc igitur nomine sanguinis missione non aliud præstantius extat auxilium, utrisque enim æquè accommodatum est. In his igitur exemplis, ad eam quamprimum confugere debemus; et sanguinem e brachio primâ vice ad uncias sexdecim detrahare liceat, et si morbi signa huic non cedunt, paucis elapsis horis, sanguinis detractio ad octo, decem vel duodecim uncias iteranda est. Si sanguine hoc modo detracto, symptomata mitiora evaserint, sed non omninò depulsa fuêre, sanguinem iterum mittere oportet, donec morbus vel penitùs fugatus fuerit, vel ita mitescat, ut aliis remediis, mox recensendis, tutò committere queat.

Cùm

Cùm Pneumonia homines plenos et robustos subito adoritur, hæc medendi ratio, ad eam summovendam plerumque valet; dubium autem est, an sanguinem eoúsque detrahère liceat ut eundem effectum præstet, in iis, quibus debilior et laxior est corporis compages, et quibus inflammatio gradatim adoriens per plures dies perstiterit, præsertim si totius corporis affectio lenis, dolor potiùs obtusus quàm vehemens, et pulsus mollis et parùm citatus fuerit. Non autem in his exemplis, ab sanguine parciùs detrahendo, omninò abstinere debemus, præsertim si morbus non ampliùs quinque diebus duraverit. Etiam si sputa jam copiosa prodeunt, ad signa inflammationis mitiganda, ad sanguinis detractionem commodè decurrere liceat; quæ, modò hæc urgentiora fiunt, etiam in provectione morbi gradu nunquam negligenda est.

Cùm Pneumoniæ signa, aliis febribus ab initio superveniunt; ad dolorem pectoris et alia symptomata lenienda, sanguinem mittere

C

haud

haud vetitum est, ratione febris habita; si enim solitum decursum habet, non nisi febre solutâ, inflammationem abituram esse sperandum est. In hujusmodi casibus, sanguis ita detrahendus est, ut vehemens systematis reactio quodammodo contemperetur, quâ partis inflammationi obviam eamus, dum alia remedia, quibus utrisque malis conjunctis occurritur, sedulò adhibentur.

Cùm vires ægri ulteriorem sanguinis de-tractionem haud sinent, et quædam inflammationis indicia adhuc maneant, sanguinem e partibus vicinis hirudinibus vel cucurbitulis cruentis, mittere convenit; semper autem cavendum est, dum hoc fit, ne æger aëri frigido objiciatur.

Epispastica quoque, partibus affectis quàm proximè admota, haud leve auxilium secum afferunt.

Cùm

Cùm in hoc morbo sanando, diathesin corporis phlogisticam imminuere magnòperè interest, omnia quæ ad regimen antiphlogisticum spectant, sedulò adhibenda sunt, præter liberum aëris frigidi accessum; omnia igitur quæ corpus irritant, cautè sunt amovenda, laxantibus lenioribus alvo adstrictæ occurrendum est, aër cubiculi in quo æger decumbit temperatus esse debet, nequaquam calidus. Potus ex iis quæ diluunt propinandus est; et si cibus dandus sit, lenissimus solummodò concedi debet.

Cùm in hoc morbo haud parùm interest, sanguinem ad corporis superficiem dirigere, aër frigidus, quo, ad partes internas repelli, et impetus ejus in pulmones adaugeri queat, sedulò vitandus est. Diaphoretica, quæ ad corporis superficiem sanguinem derivant, et lenem sudorem proliciunt, in omnibus hujus mali exemplis, post debitam sanguinis detractionem, utilia sunt. Cavendum autem est ne medicamenta hoc consilio adhibita stimulo noceant. Emetica ita exhibita ut nauseam
solummodò

solummodò moveant, magis idonea sunt : hæc salibus mediis conjuncta, et justis intervallis assumpta, ad cutem sanguinem dirigunt.

Expectoratio, quâ morbus sæpè feliciter solvitur, quantùm fieri potest promovenda est. Medicamenta autem, hoc consilio vulgò adhibita, multùm valere, nequaquam certum est. Ex antimonio parata, dum diaphoresin cient, ad expectorationem quoque promovendam conferunt, et antimonio exiguam scillæ quantitatem adjungere possumus, quæ forsan aliis hujusmodi medicamentis præstat. Vapores quoque aquæ calidæ in pulmones acceptæ, huic proposito inserviunt.

Tussis crebra, quæ ægrum molestè exagitat, demulcentibus oleosis, et mucilaginosi, consopienda est : hoc autem consilio, opium remedium præstantissimum jure habetur, et inflammatione sanguinis detractione, et aliis remediis antiphlogisticis, priùs subactâ, non
solum

solùm sine periculo sed summo cum beneficio eo uti liceat. Submurias hydrargyri, utpotè in pneumonia medenda utilissimus, nuper propositus fuit, et quædam exempla a medico* benè exercitato, narrantur, in quibus unà cum opio conjunctus, cum exitu admodum felici usurpatus fuit.

Nonnulli ad digitalem in hoc morbo confugerunt; et cùm effusionis vel suppurationis indicia primùm apparent, nonnunquam citiùs, eam exhibent. Huic autem non ita fidendum est, ut sanguinis detractio et alia remedia antiphlogistica, omittantur; ex his enim matura morbi resolutio maximè expectanda est; sin minùs effusione vel suppuratione jam factâ, remedium anceps quàm nulum experiri decet.

Cùm homines qui hunc morbum semel passi sunt, redditui ejus multò magis obnoxii fiunt,

* Dr^c HAMILTON, *Lynn-Regis*.

fiunt, ne recrudesca^t malum summa cura an-
nitendum est : frigus igitur, diu assidue vi-
tare debent ; exercitium lene in aëre sicco et
calido, ad pulmones roborandos, et ad san-
guinem ad corporis superficiem derivandum,
conferre potest ; victûs ratio tenuis, esse de-
bet ; cibus igitur, qui lene nutrimentum præ-
bent, utendum est ; et præ omnibus, ab li-
quoribus fermentatis, utcunque generis fue-
rint, abstinendum.

F I N I S.

ARTATIO MEDICA

LEGISALIS

ATISMO ACUTO

Pulvis, ne resuscitetur, non tam remota cura dis-
 utendum est: si frigida igitur, diu remanere vi-
 tare debet; exortum lens in aere secco et
 calido, ad potumque roborandos, et ad san-
 guinem ad corpus superfluum derivandum,
 censere potest; victus raris tenuis, esse de-
 bet; cibus igitur, qui lens nutrimentum pre-
 beat, secundum est; et pars omnibus, ab li-
 quoribus fermentatis, utriusque generis, ab-
 stinendum.

F I N I S